

Idem de Concilio Oecumenico, ac de Canonizatione Sanctorum iudicium esto.

Idem quoque de Romanorum Pontificum electione.

Altero tamen nodo difficultatem implicat, ut futillis argumenti vires instarent. Si Ecclesia, ajunt illi, non iudicaret infallibiliter de sensu hujus vel illius scriptiois seu Textus, non posset fidei formulas has vel illas, uti certa fide, tenendas fidelibus proponere: Cum eas ergo proponat, dicendum est infallibiliter iudicare.

At qui ista tam fidenter, tam liberaliter iactant, ab instituto recedunt. Nos enim hic agimus primo de sensu iudicando alicujus scripti seu contextus alias subobscuri, per sese aequivoçi, va-

riisque sensibus obnoxii: Tales autem non sunt fidei formulæ, quæ ab Ecclesia fidelibus proponuntur. Secundo de sensu iudicando Scriptorum seu contextuum privatorum Auctorum; non de sensu contextuum, quas ipsamet Ecclesia exaravit. Cum autem Ecclesia formularum fidei, quas ipsamet proponit, contextum exaravit, earum sensum infallibiliter novit: imo potest ipsa qualemcumque sensum voluerit usurpatis a se verbis adicere.

Quæ cum ita sint, quis non videt vel mediocriter sapiens, Romanos Pontifices Conciliaque Oecumenica, in factis dogmaticis iudicandis ac definiendis indeficientiæ privilegio modo explicato minime gaudere?



# TRACTATUS SEPTIMUS

## DE SACRAMENTIS.

### PRÆLUDIUM.

*Probatum Studium rei Sacramentariæ ceteris aliis studiis esse antefendum.*



**H**abita de Romanorum Pontificum auctoritate, jurisdictione, atque indeficientia Theologica Tractatione, postulat officii ratio, & servata docendi methodus, ut in præsentia nonnullas de Legis Evangelicæ Sacramentis disputationes instituamus.

Una me de re Sacramentaria dicere instituentem cura sollicitat, ac valde anxiam habet; quod me fabulam furdis canere certo sciam; qui postremam hanc disciplinam Theologicam partem in Scholis neglectam videam, atque despectam, seu Juvenum fœcordia; qui vix postea Theologiæ tyrocinio, sacris Litteris valeant, seu cubiculorum quorundam Magistrorum incuria; qui ut tempori & operæ parcant, cruda Discipulorum ingenia, nondum consummato Theologico studio, ac ne delibata quidem Sacramentaria parte, ad lauream propellant, ac manumittunt.

Urcumque tamen res sit, mihi & muneri meo non deero; utque postremam istam disciplinam Theologicam partem apud tam iniquos æstimatores, si fieri potest, in honorem reducam, meam illi in hac publica Scholarum instauratione advocacionem accommodabo; planumque faciam, rei Sacramentariæ studium ita esse viro Theologo necessarium, ut ceteris non æquari duntaxat, verum etiam anteferi omnino debeat. Sic sane litteris hæc nostris suis constabit honos; & que nobis in disciplinam tradita est florentissima putes, semotis præjudiciis redudoque velo, toto ad eas expediendas studio animoque contendet.

Et quidem, ut inde orandi initium faciam, vel ex ipso Theologiæ instituto comperta veritas est, quam probandam aggredior, si modo paulo penitus perpendatur. Escur enim Theologiam inventam a Patribus, ac summo semper honore habitam existimamus? Forsan ut de sacris divinisque rebus intra Ecclesiam disputantes mutuis nos captatiunculis illigemus? Ut inter domesticos fidei jurgia feramus? Ut in factiones sectasque discissi intestino bello quotidie committamur? Absit. Sunc hæc recentis Theologiæ vulnera, non officia. Nec minus deridendus, qui ad id institutam Theologiam effutiret, quam qui bellandariam in concitandis fovendisque bellis civilibus, ac non potius in tutanda Republica positam esse contendere. Quid ergo? Ut Religionem Catholicam tuamur, Theologi sumus. In id principium studio incumbendum. Cætera si que sunt, aut de functione, atque ex occasione pertractanda veniunt, aut in id unum, tamquam ad instituti Theologici finem, referenda. Testis mihi sit, isque locupletissimus Augustinus Theologorum post homines natos maximus, qui Theologiæ naturam, & officia brevi complexus *lib. 14. de Trinitate, cap. 1. Scientiam esse, inquit, quæ fides saluberrima gignitur,*

*nutritur, defenditur, laboratur.* Cui præclara sententiæ calculum adjicit Doctor Angelicus 1. part. quest. 1. art. 2.

Jam si sic est, quis neget, de variarum Theologiæ partium addiscendarum necessitate, ex majori minorive tutanda Fidei cura esse iudicandum; ut in eam pertinaciori studio incumbamus, quæ potior in tutanda Fide Catholica operam ponit? Porro, tamen in qualibet sacra Disciplinæ parte, Catholicæ Fidei defensor Theologo viro incumbat; id tamen peculiari quadam ratione experiri in ea juvat, quæ de Sacramentis Ecclesiæ disputat. Primum, quod in aliis ferme omnibus Theologorum Commentationibus, in maxime Hæretici confutentur, qui retroactis sæculis eruperunt, ignotique longa nocte silentur illacrymabiles; in ea vero, quæ in re Sacramentaria explicanda versatur, bellum in eos moveatur, qui hæc nostra ætate tumultuantur, Ecclesiam etiamnum infestant, nobisque, ut ita dixerim, aurem velunt. Secundo, quod aliis plerisque Theologicis Tractationibus unum alterumve Fidei caput propugnandum occurrat; cætera libera opinionationi permittantur; in ea autem, quæ de Sacramentis est, ducenta plus minus Fidei capita propugnanda veniant, perpaucæ Theologorum opinionationibus reliquantur. Age enim, & singula vocemus in censum. De Trinitate si disputem, ubi semel adversus Arianos, Eunomianos, Photianos, præteritorum temporum pestes, æterni Verbi, ac sacri Flaminis Divinitatem ostendero, hujusque ab altero Processionem, a sacro in Hæreticos bello desitum est; in reliquis, cum Scholasticis ad rivum usque digladiabor. De Incarnatione si dicam, cum primum de unica Christi Persona contra Nestorianum, deque ejus gemina Voluntate atque Natura adversus Monothelitas, & Eutychnos fuerit disputatum; prælia in Hæreticos conquiescent; in cæteris, cum Viris de Schola rixabor, ac de lana sepe captiva questionibus miscibo vix dignas lucubrationibus anicularum. De Gratia & Prædestinatione si disseram, probata adversus Pelagianos ac Massilienses Divinæ Gratiæ necessitate, ejusdemque liberali largitione demonstrata, Catholica Fides hoc de argumento in tuto est, nec ultra manus cum Hæreticis conferenda. Atque ita ferme de reliquis Theologiæ commentationibus. Verum ubi ad rem Sacramentariam ventum est, continuum ferme in nostrorum temporum Hæterodoxos bellum intenditur; brevique in nonnullos Catholicos Tractatores facta velitatione, totum in Lutheranos & Calvinistas Triariorum robur emittitur; qui universam Sacramentorum Doctrinam infinitis propemodum erroribus labefactant; veterum Sacramentarium commenta recidunt; & quidquid unquam a præfatis illis Veritatis hostibus in controversiam hoc de argumento vocatum est, in Ecclesiam Romanam animosius instaurant. Ut enim Confirmationem, Penitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, Matrimonium missa faciam, quæ ne frequentant quidem ipsi, aut certe Sacramentorum loco non habent, de quibus questionibus Polemicæ plus minus cantum a Theologis agitantur; in Baptismum du-

duntaxat, & Eucharistiam, de quibus sibi videntur religiose sentire, animos intendite. Quam multa (Deus bone!) Fidei capita, de Nominibus, de Natura, de Partibus, de Institutione, de Usu, de Charactere, de Necessitate, de Fructibus, de Ministris inficiantur Heterodoxi? Quos ab his vasa mollis in lucem emissa volumina, ut Eucharistia veritatem impeterent, Calicis usum laicis adjudicarent, Altaris Sacrificium ludibrio verterent, sacros de more ritus exploderent, gemina substantia mutationem oppugnant? Nisi ergo ab ipso Theologiae instituto, quod in Fidei defensione positum est, toto aberremus officio; imo nisi plane faxei simus, nihilque nos Ecclesia tuenda necessitas tangat, possimam studii partem in re Sacramentaria ponemus; ut pro officii ratione Religionis & Fidei causam eo praesertim in casu ab hostibus impetitam, faram testamque servemus.

Accedit alterum ex pertractandi a nobis argumenti natura & conditione positum, quod novos stimulos addat, eaque nobis studia praeter ceteris necessaria, luculentius evincat, Ecclesiae scilicet sacramenta, non earum rerum Theologicarum numero esse, quae nuda cognitione atque aestimatione a Theologis attinguntur, qualia sunt cetera pene omnia; sed in exercitatione quoque atque actione consistere. Quo fit, ut si qua falsa de his opinio animo sedeat ex mentis errore, actionis quoque & administrationis Sacramentalis vitium necessario consequatur; atque ita in casum abeam, aut etiam, quod pejus est, in damnationem cedent, quae ad fidelium salutem a Christo sunt instituta. Fac exempli causa, falsa circa Incarnationem, aut Trinitatem opinio aliquem infici, grande quidem id scelus, si haeresim praesferat; at interim quidquid ille delirer animo, Deus nihilofecius in se trinus erit & unus; Christus homo Deus, nec quidquam interna Mysteriorum illorum integritati officiet mentis error. Fac quempiam de Gratia & Praedestinatione prave sentire: modo ne pertinaciam; quae voluntatis vitium est, addat errori, Praedestinationis & Gratiae fructus perinde percipiet, nec Divina in se liberalitati ponet obicem humanae mentis aberratio. Cujus rei exemplum dedere quinto saeculo Massilienses, quorum de Gratia & Praedestinatione spissos errores damnat Ecclesia, & Sanctitatem eximiam erectis etiam Altaribus veneratur. At si in re Sacramentaria subit error, vix unquam damnosus non erit; & aut Sacramentum irritum faciet, aut suscipientem Sacramenti fructibus defraudabit. De Materia enim Sacramentorum, de Forma, de Ministro, si aliter, quam res se habeat, opinaris; aliter quoque, quam oporteat, ministrabis: in his enim ut quisque sentit, ira & agit: atque adeo rem sacram aut nullam facies, aut viciosam. De suscipientium dispositionibus si tibi sinistra opinio animo insidet, periculum est, ne indignis minusve paratis Sacrosanctum obicias; itaque mortem inferas, quorum tibi salus concredita est. Annon igitur in calcaneo cerebrum gestant, qui rei Sacramentariae studium ceteris posthabendum existimant; qui inutilem, aut certe supervacaneam operam putant; qui, si pauculas, ac etiam successivas horas impenderit, ultra quam ipsa postulet, defudasse videri volunt?

Imo vero & vitia institui, quod ingressi sunt, & sacri, quod obeunt, Ministerii prioris indignos non dubitavimus affirmare, qui cum aliena, aut certe ceteris quibusque communia studiose sectentur; quae proprii muneris sunt & officii postremo omnium loco habenda putant. Sane quotquot hic Divinas Litteras colimus, Sacris Altaribus

mancipamur, quorum Ministerii pars maxima in Sacramentorum dispensatione versatur. Ceterarum quarumcumque rerum Theologicarum Doctores atque Magistri tui vocitatur, aut sumus; at Sacramentaria rei Ministerii quoque atque dispensatores a Christo Domino sumus instituti: illarum meri speculatores atque commentatores censemur; illius pars magna sumus; in iis auctorem Deum ostense, ut ita dixerim, contemplamur; in ista auctori Deo operam etiam nostram adjungimus. Ut hinc omnes intelligant, rem Sacramentariam peculiari quadam ratione nos tangere; nec posse Theologos viros, in ea perdiscenda ac pertractanda, desides esse, nisi se & sua nescire videri velint. Quod quanti dedecoris & infamiae sit, nihil hic attinet demonstrare.

Hinc illa D. Borromei in sacris Institutionibus monita Clericis data, ut sedulam in addiscenda Sacramentaria Theologia parte operam ponant; ne illos ignorare contingat, quae tractare, quae ministrare fidelibus debeant. Si enim, quod aiebat nescio quis, *quam quisque novit artem, in ea exercere se debet*; quanto certius, in qua quisque se exercet arte, hanc debet nosse? Majoris quippe periculi est, non nosse quod exerces, quam non exercere, quod noveris. Qua etiam ratione permoti Galliarum nostrarum Episcopi Ecclesiasticae Disciplinae tenacissimi, Conciliorumque Nationalium statuti obsecuti, cum neminem sacris ordinibus initiare soleant, qui Theologica studia non delibaret, Sacerdotio neminem inaugurant, qui eam peculiariter partem, quae de Sacramentis est, non didicerit. Qui aliam studiorum rationem tenuerit, tanquam prophanus Sacro auctor ministerio: in quem illa Dei comminatio iure ac merito cadat, *Osce 4. Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*; Scientiam, inquam, repulisti implendo Sacerdotali Ministerio praeter ceteris necessariam.

Sed quid tandem, si quam complectitur eruditionis amplitudinem, postrema ista Theologiae Disciplina pars paulo distinctius observemus? Eum sane nec dimidiatum quidem Theologum esse competentem erit, qui ceteris omnibus animo comprehendendis, vel hanc unam insalutatam praeterierit. Quae enim rogo vos veri nominis Theologum appellamus? An illum, qui facta Scholarum caligine demersus, praeter unum aut alterum Scripturam omnium ignarus, nulla vetustatis ac praeformis cognitione perpolitus, nulla Scripturarum ac Patrum noticia tinctus, de sacris divinisque rebus ex unius Philosophiae placitis arguitur? Absit: Non Theologum, sed ventosam cucurbitam appellabo, inaccessa Mytheria humana ratione temere medicentem. Illum unum eo nomine dignum existimo, qui divinarum Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum lectioni intentus sua omnia e Sacris illis fontibus haurit; qui Historia ac Disciplina Ecclesiastica studio dies ac noctes impendens, Scholasticis Controversiis lucem ac spiritum addit; qui denique superiorum temporum Traditionem animo lustrans, recentium Magistrorum placita ad probatissimos Veterum calculos vocat: hunc ego Theologum dico. Quamquam autem Theologiam, qua late patet, universam ad eam formam reducere necesse sit, si volumus esse Theologi ut debemus; uberiorem nihilofecius antiquae memoriae cognitionem, in re Sacramentaria pertractanda desiderari, nemo prudens ibit inficias. Cum enim, ut antea praemonebam, non in nuda speculatione, sed in agendo quoque posita sint Sacramenta, & in actu consistant, eoque non privato, sed publico; nec unius alteriusve saeculi sint, sed plane omnium quotquot a Christo ad superos vocato numeramus; universam Ecclesiam

Disciplinam exploratam habere necesse est, qui dignam his studiis nayat operam. Quid Concilia, quid Patres per singulas aetates fecerint; quid usus quoquo saeculo tulerit; quid pro re nata Pontifices pronunciarint, diligentius inquirendum. Si fecus egerit Theologus, tanquam Scholae Rabula, aridus magistellus, proterarius Disputator exhibebitur.

Age tamen, & quid superciliosos contemptores ad hanc Theologiam partem ceteris posthabendam impulerit, videamus. Scholasticam subtilitatem in rei Sacramentariae Tractatione nullam esse dicunt: ingenii acumen minus in ea, quam in aliis leucere: opacas duntaxat mentes, torpentia atque humeris demersa ingenia iis studiis delectari, quae in Sacrarum Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum lectione versantur: nec tam ingenio, quam dorso valere, quotquot iis impendius indulgent. Iis ferme verbis studia ista derident inficeti reprehenses, qui ingenio intra cancellos duntaxat macra speculationis adstricto, dolium unum volutarenorunt; unoque in pistrino semper inclusi, in eo tanquam in regno sibi plaudunt, atque triumphant. Hanc nobis cantilenam ad ravim usque recinunt lepidi derisores. Quos ego multo lepidius perstringerem, vobisque ridendos propinare, nisi naturae meae genius repugnaret, in eorum etiam laudes effusus, a quibus nolim ipse laudari. Dicant tamen, quibus ita ludere libet, an ad id unum Theologia data sit, ut exacuatur ingenium, ac nunquam ad id assurgamus, quod ad fidei Catholicae defensionem necessarium existimatur? Certe quotquot in hac tanta, qua praemur, Haereticorum obsidione Scholastica Theologiae vepretis ac tribulis perpetuo harent, quod ingenium exacuere videantur; nec unquam ad theticas & polemicas Controversias mentem appellant, haud aliter deridendos existimo, quam qui ab hostibus undique laceffiti totam in exacuendo gladio vitam ducerent; nunquam tamen in sui defensionem exerent. Excolatur, per me licet, ingenium Metaphysicis Disciplinis, exerceatur Scholasticis Controversiis, non repugno; sed iusto tempore: ut quam demum subtilitatem adepti sumus, altioribus studiis devoteamus. Alias periculum subest, ne quemadmodum qui gladium plus aequo exacuit acumen atterrit, ac demum absumit; ita, & illi mentem plus satis exacuendo, de statu dejiciant, ac porro dementent.

Quamquam & illud insulstatis atque calumniis plenum est, quod tanta fiducia dicuntur: Theologiam subtilitatem in rei Sacramentariae Tractatione minus elucere. Equidem si subtilibus, & inconditis argutiis, si triciis, inanibusque cavillationibus subtilitas continetur, fateor & ea caremus, qui hisce studiis delectamur, & eam ceteris, quibuscumque liberit, relinquimus potius, quam nobis arrogamus. Do manus, bajuli fumus, & quidem rudes & impoliti, non acuti Theologi; nobisque studium omne ingeniumque in dorso est, non in cerebro. At si ingenii perspicacia, ac iudicio, criterio ad amissum exacto, generoso ac vivido spiritu fiat vigerque subtilitas, facile erit, ex movendarum quaestionum gravitate dignoscere, quid in eo genere postulet Sacramentaria Disputatio. Quam si pro dignitate tractare velint, qui ceteros dorso, quam ingenio valentiores appellant, vereor ne, & ipsi onere pressi fatiscerent, quamquam, & dorsi, & humorum, totiusque corporis, adhuc etiam totius ingenii vires intenderent. Sed motos praestat componere studium.

Mihi satis fuerit brevi prologo demonstrasse, postremam hanc Disciplinam Theologicam partem, non modo non esse ceteris posthabendam, ut autumant nugivendi; sed principe loco reponendam seu spectata tuenda adversus tumultuantes Haereticos Catholicae Fidei necessitate; seu attenta implendi, quod obimus, Sacri Ministerii religione; seu demum considerata Ecclesiastica, quam complectitur, eruditionis atque doctrinae ubertate, amplitudine, majestate. Ut intelligat studiosa Juventus, cuius institutioni curas nostras ac studia devovemus, non inglorium, & infrugiferum esse laborem, quem in iis litteris addiscendis impendet. Imo nulli certiore patere viam, ut & opportunus Religiosis & Fidei defensor, & dignus Sacramentorum administrator, & absolutissimus Theologus evadere aliquando possit.

In sequenti igitur Dissertatione primam in Lutheranos, & Calvinistas impressionem faciemus. Et quia eorum in Sacramenta livor & odium eo usque processit, ut ipsum etiam nomen ab Ecclesiae usu pellere velint; idcirco de Sacramenti Nominis in Ecclesia usurpatione retinendoque, Deo volente, disputabimus.

## DISPUTATIO PRIMA.

### P R A E L E C T I O I .

Quid intelligendum sit nomine Sacramenti, proponitur, explicatur.

**U**T via debita rectaque ratione procedat suscepta de Sacramentis Ecclesiae Theologica disputatio; de ipsorum Sacramenti Nominis, in Ecclesia usurpari solito ad ea divinae gratiae signa praedicta denotanda, nobis est hoc ipso in limine disputandum. Prima etenim quaestio illa est, si minus dignitate & gravitate, at certe doctrinae ordine methodoque; Cum rem quamcumque ex nomine saltem nosse primum omnium oporteat, antequam aliae illae de ea quaestiones agitentur, ac moveantur.

De eo itaque Sacramenti nomine dicere instituentem, movet me plurimum D. Augustini digna sententia lib. 10. de Civit. Dei cap. 13. *Liberis verbis loquuntur Philosophi, nobis autem ad certam*

regulam loqui necesse est; ne verborum libonia, etiam de rebus quae his significantur, impiam signat opinionem. Hinc etenim intelligere facile est, supervacaneas plerumque censeri, quae de rerum naturalium appellatione moventur a Philosophis quaestiones, nunquam tamen inutiles aut nugaces haberi posse, quae de rerum divinarum nominibus a Sacris Tractatoribus agitantur.

Et certe eum in veteri perinde ac recenti memoria peregrinum esse, necesse est, qui nesciat Ecclesiam Catholicam pro certis interdum nominibus usurpandis, ac retinendis, tanquam pro aris & focis, acriter decernasse, quod iis Catholicis si dei testem positam esse existimaret. Sic pro retinendo *Consubstantialis* vocabulo, adversus Arrianos depugnavit Sacrosancta Nycena Synodus: sic pro usurpanda *Deipara* voce, adversus Nestorianos Ephesina Synodus decernavit: Sic *Trinitatis* vocabulum consecratum in Ecclesia voluit Concilium Constantinopolitanum, hujus nominis terminum:





tant Ecclesia Patres. Primam inquit Augustinus *Epist. 23.* quae est ad Bonifacium Episcopum, ut nimirum externa illa similitudine, qua rebus corporeis inest, gratia conferenda virtutem intelligamus. Sic externa lotione, in Baptismo fieri solita, originis maculam abstergi discimus: Sic externa refectio Eucharistica, animam spiritualiter refici perficitur: atque ita de reliquis Sacramentis. Alteram rationem subministrat S. Joannes Chrysostomus *homil. 83. in Matth.* ut nimirum qui Spirituali anima & corpore coalescimus, spiritualem gratiam, per rem corpoream recipiamus. Tertiam D. Bernardus adjicit *Ser. 25. in Cantica*, ut hominis superbia domaretur; dum qui Deo, in boni maliq; cognitione similis esse, diabolo suadente praesumpserat, rebus maxime vilibus, ad gratiam obtinendam, iusto iudicio subiicitur. Ultimam inculcat saepe numero Doctor Angelicus, ut homo, qui lethali rerum sensibilibus profusione, a Deo refuga factus erat, salutari earundem rerum sensibilibus attractione, rediret ad Deum.

Sunt qui quaestionem de lana caprina, movere hoc loco soleant, num scilicet Deus, absque rebus sensibus obnoxius, Sacramenta condere potuisset, si sic forte libuisset? Quaestionem hanc ex iis esse putaverim, quas stultas ac sine disciplina vocat Apostolus 2. ad *Timot. Cap. 2.* a quibus abstinendum monet. Quid Deus absolute possit, si velit, difficulter admodum asserit, ne potestatem ejus metiri videar. Mihi tamen probatum est, illum sine rebus sensibilibus aequo potuisse Sacramenta condere, si ita placuisset; Sacramentorum enim institutio, ex una Dei voluntate penderet, ac quo jure res sensibiles & materia concretas, in hanc formam evexit, ut gratiam significarent, atque conferrent, ita internum hominis actum pura adorationis aut fidei dignitate, & efficacia donare potuit, ut gratiam tanquam instrumentum divinae omnipotentiae produceret. Certe Deus interno hominis actu ac motu usus est saepius, ut instrumento, quo miracula & portenta pararet; quid ni & illo uti posset, ut gratiam largiretur? Quod itaque corporea sensibusque obvia instrumenta instituerit, ad gratiam largiendam, non necessitatis utique fuit, sed liberae voluntatis, ut nostrae tenuitati se commoderet, quae sub rerum sensibus obviarum involucris, Spirituality sectar.

In sequentibus, gravissimam adversus Lutheranos & Calvinistas controversiam adoriemur: Num verba quibus Sacramenta perficiuntur, concionalia sint an num potius consecratoria?

### PRÆLECTIO III.

*Cujus generis sint verba Sacramentalia demonstratur; & Insana Protestantium commenta refelluntur.*

**C**eleberrimae Controversiae caput attigimus; quod a primis Calvinianae Sectae temporibus, commentitiae reformationis Architectos, cum Ecclesia Romana commisit. Quamquam enim verbis ac rebus Sacramenta constare, communis Protestantium, & Catholicorum sententia sit, cujus ramen generis verba illa sint, acriter digladiantur. Catholici Sacramenta pauculis illis verbis confici docent, quae super materiam a Ministro profertur, qualia in Baptismo ista sunt; ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus S. in Eucharistia, hoc est corpus meum &c.; eaque consecratoria verba nuncupant, quod iis consecratur, veluti Sacramentum. Calvinista longe aliter opinantur: concionem Sacramento conficiendo

praemittunt, quae suscipientium fidem excitant, & Sacramenti virtutem ac divinas promissiones exponunt; illaque ipsa concione Sacramentum confici volunt. Hinc verbis concionalibus Sacramenta constare dicunt: atque ita ab ipsis Sacramentis non tam produci gratiam, quam fidem in suscipientibus excitari fabulantur; is quippe concionis fructus est, Ita Calvinus *lib. 4. Inst. Cap. 14.* Theodorus de Befa in *Summa doctrinae, de re Sacramentali*, Kemnitius *part. 2. examinis Concilii Tridentini*.

Non idem tamen apud Calvinianos in singulis Sacramentis administrandis verborum usus est. Namque in Baptismo verba concionis ita adhibent Calviniani, ut tamen consecrationis verba non omittant; quandoquidem praemissa sua illa concione, ad baptizandum instructionem, Evangelica verba, Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus S. in ipsa etiam aqua infusione, aut immersione pronunciant, tamen baptismatis vim ex praemissa concione repetant, propterea quod per eam duntaxat fides baptizandorum excitetur. In Eucharistia vero conficienda, nil nisi concionem adhibent Calviniani, consecrationem plane nullam; Sic enim suam illi eorum Eucharisticam celebrant; uti Parisiis fieri vidi, antequam impia secta Professores Regno Christianissimo percelleret. Vocatis in unum gregalibus suis, & in templum suum collectis, legit illorum unus ex edito loco Historiam institutionis Sacramenti Eucharisticae, ex *Cap. 11. Epist. prioris ad Corinthios; sicut ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis &c.*, eo ferme modo, quo nos inter Missarum solemnia, lectionem ex eadem Epistola, ad fidelium institutionem, recitamus; tum qui illis Ministri loco est, Concionem habet ad populum, qua paulo susus exponit, quae strictim in lecta ad Corinthios Epistola continentur: ac demum nullo alio, supra Panem ac Vinum prolato verbo consecratorio, nullo alio ritu peracto, utrumque distribuitur discumbentibus, suamque hoc pacto Cenam Eucharisticam edunt.

Ex quibus obiter colligere est, habere quidem Calvinianos in Secta sua verum Baptisma, quippe qui praescripta verba consecratoria tingendo pronunciant, licet illis regenerandi vim non adscribant; Eucharistiam tamen veram nequaquam habere, imo nec habere posse, tamen sui illi Ministri, consecrandi Sacramenti potestate donati essent; quales profecto sunt, quotquot in Ecclesia Romana Sacerdotio initiati, ad illos per Sacrilegam apostasiam accedunt: quia nimirum consecrationis verba non profertur, sed solam habent ad populum concionem. Nonnullos fortasse ab ea lege Ministros Calvinianos exciperem, qui verba Institutionis Eucharisticae in Epistola Pauli contenta non historice tantum, sed intentione consecrandi profertur: Uti Kemnitius loco paulo ante laudato, memoriae prodidit. Hos etenim, si qui sint, re ipsa consecrare minime dubitaverim; si alias sacro Characteri sint initiati; quales plerique Apostatae sunt, qui a nobis ad illos aufugerunt.

Ut ergo recensitum Calvinianorum errorem recte petamus, & Romanae Ecclesiae fidem, hoc de argumento, ponamus in tuto, Propositionem hanc vindicandam aggredimur: *Sive Concio praemittatur conficiendo Sacramento, sive non; nullo tamen pacto concione ipsa perficitur Sacramentum, sed consecrationis verbo insuper addito.*

Id evincit in primis Ecclesiae disciplina ab Apostolis ad nos usque derivata, atque apud ipsos Calvinistas usu recepta; qua nimirum pueri, nec dum rationis usum assecuti, Sacro baptismate initiantur. Quomodo enim fieri potest, ut baptismus pueri,

ro, nec dum rationis usum experto collatum, concione perficitur, quae nulla illi sit? Aut qua forte tenello pupulo concio fieret, qui & percipiendae concionis, & institutionis capiendae, profusus est incapax?

Lutherus, cui Calvinii sententia primum arrisit, eo argumento implicitus, nec satis viam, qua effergeret, adinveniens, id demum repositit, quod nequidem in cucurbitae caput venturum existimasset: pueros nempe concionem percipere, eamque idcirco illis esse faciendam. Quasi vero puer, ab utero recens, unoque alterove die in lucem editus, concionem percipere possit; Tantumdem profecto fuerit, si quis mihi perfructum vellet, parietes istos, scamma hac atque subsellia, lectionem hanc meam audire, ac etiam capere; ad populum itaque Phalaris illas.

Quare Calvinus, eo Lutheri effugio relicto, novum Responsum excogitavit, ut laqueum istum evaderet. *Lib. 4. Inst. Cap. 16.* Nempe reponit ille, pueros rationis usum nondum expertos, quibus fieri concio non potest, baptismus quidem verum percipere, sed tunc primum inutile: futurum vero utile, dum accedente rationis usu, concionis sibi tunc faciendae intelligentiam assequuntur.

Huc nonnihil affine paulo ante tradiderat Desiderius Erasmus; qui lubricae fidelis, qui ova fossive dicitur, quae demum Lutherus exclusit. Contendit enim ille, pueros ante rationis usum baptizatos, cum demum illius usum fuerint assecuti, interrogandos esse, an baptismum susceptum ratum habeant, nec ne? si respondeant, se ratum habere; pro Christianis habendos esse; si negaverint, tamquam non Christianos, ac inutiliter baptizatos, esse dimittendos. Sic ille Calvinio praesulit.

Minus quidem responsum illud Calvinii experimento repugnat, nec sensibus, veram rationi relogio iudicio perinde vim facit. Et quidem Sectae suae principis minus haeret Calvinus, dum reponit pueros absque praemissa concione, ac certe ea minus intellecta baptizatos, Sacramentum validum percipere, quamquam fortassis inutile.

Primo enim si Concione ipsa perficitur Sacramentum, ut ipse quidem autumat, certe ubi concio nulla fuit, aut intellecta non fuit, non modo inutile, sed profusus nullum erit baptismatis Sacramentum: cum effectus sine causa sua nullus omnino sit. Secundo, pueros illos sine praemissa concione baptismum regeneratos, ac subinde ante rationis diluculum, ex hoc mundo forte fortuna sublatos, in regnum aeternum admittunt Protestantes. Iis ergo otile fuit baptismatis Sacramentum, suoque in illis effectus obtinuit &c. Tertio si tunc tantum pueris utile fieret Sacramentum, dum accedente rationis usu, concionis intelligentiam assequuntur, non itaque a prima concione, quae pueris facta non fuerat, aut si facta ab illis percepta non fuerat, vim suam baptismata repetit; sed ab altera concione, quae illis tandem rationis diluculum assecutus fieri potuit. Nullum igitur futileque est alterum illud quaesitum a Calvino suffragium.

Quare eo relicto Calvinii suffragio alterum secutus inde temporibus quaesierunt discipuli ejus. Nempe reponunt illi, pueros rationis usum nondum assecutos, nulla quidem praemissa distincta atque expressa concione baptizatos esse, attamen ea Evangelica verba, a Ministro baptizante prolata, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. loco concionis, & pro concione haberi; cum ea verba Mysterium SS. Trinitatis enunciant; atque ita verba haec regenerandi vim habere, non

quia simpliciter consecratoria sunt, sed quia sunt etiam concionalia, in quantum fidem Trinitatis enunciant, & explicant.

Argute profecto subtiliterque responsum. At contra repono ego. Esto paucula illa verba, quae a Ministro baptizante profertur, concionalia absolute censei possint; propterea quod Mysterium Trinitatis enunciant, non sunt tamen ipsimet baptizato puero concionalia; Cum nec ab eo intelligantur, nec fidem pueri valeant excitare.

Illud ergo, velint nolint, fateantur oportet Calvinista, baptismum pueris ministratum, concionalia verbo non perfici, sed consecratorio duntaxat, seu verbo non perfici, ut fidem suscipientis excitante, (quod concionis est proprium) sed verbo materiam seu aquam veluti consecrante, & regenerandi vim tribuente.

Eandem a nobis statutam propositionem (nempe quod Sacramentum sit) magis magisque confirmat, servata apud ipsos Lutheranos, & Calvinistas altera disciplina. Si siquidem baptismus in Ecclesia Romana communione collatum, ratum agnoscunt, ac plane validum. Nostros enim ad ipsorum sectam convolantes apostatas, novo baptismate minime tingunt, sed sola reconciliatione in gregem suum admittunt; qui tamen compertum illis sit, eos solo consecrationis verbo, nullaque praemissa concione, in Ecclesia Romana lustratos esse. Aut ergo valet collatum sine concione baptismum, atque ita concionis verbo non constat; aut certe si non valet, transfugas illos sine vero baptismo manere sinunt. Quod ingens scelus illis esset.

Præterire hoc loco nefas arbitror antiqua Romanorum Pontificum, & Sacrorum Conciliorum statuta, de baptismo Haereticorum. Statuta, inquam, Stephani primi, Siricij, Innocentii primi, Leonis magni, Anastasij II. Concilii Niceni I. & Arelatensis; a quibus Sanctum est, quorumcumque Haereticorum baptismus, ratum esse, modo cum S. Trinitatis invocatione consecratur. Quae quidem statuta ab ipsis quoque Lutheranis & Calvinistis accipiuntur; Sunt enim ea aetate temporum edita, cum Romanam Ecclesiam nondum fuisse in Apostasiam prolapsam, utro fatentur. Baptisma igitur Trinitatis invocatione perfici supponebant tot illi Romani Pontifices atque Concilia: Haec porro invocatio consecrationis verbis expressa est. Et vero, cum ea aetate temporum qua decreta illa sunt edita de Trinitatis Mysterio Haeretici plerique male sentirent, Arriani, Paulinista, Petrobulliani, Sabelliani, Eunomiani, Macedoniani, nullum illorum baptismus fuisse, si concionis verbo, tanquam essentiae suae parte constitisset, cum illorum de Trinitate concio fidem excitare non posset, sed perfidiam potius mentibus inferere, erroreque quibus ipsimet laborabant, audientibus instillaret.

Hoc idem Calvinianorum commentum prorsus evertunt sacrae litterae, ad quas gestiunt Lutherani & Calvinista. Christum enim Eucharistiae Sacramentum consecrasset, suisque distribuisse discipulis, ex Evangelio certo liquet, neque id Calviniani dissentent. Is vero nullam, ut hoc Sacramentum conficeret, concionem habuit; qua virtutem illius exponeret; solaque consecrationis verba protulit ab Evangelij Scripturis recentia. Sermonem quidem prolixum ad discipulos habuit, a Joanne Evangelista descriptum *Cap. 15.* at peracta jam Cena, ipsoque Eucharistiae Sacramento discipulis distributo, ut plane factum esset, conficiendae Eucharistiae vim, Concioni illi adscribere velle. Quid etiam Christi discipulis appellem, a quibus administrandum Sacramentorum extem-

plum petere opus est? Si quidem concionem baptismi praeiudicabant, ut adultis initiandis, Christi fidem, & religionem exponeret: quod & nos in Ecclesia Romana facitamus, quoties adultos homines tingimus: quin etiam nullos ratione utentes baptizari posse censemus, nisi Trinitatis atque Incarnationis fide imbuti sint. Verum praemissam illam ab Apostolis concionem internam, ut ita dixerim, Sacramenti partem non fuisse; aqua uti forma vim regenerandi tribuente, tria aperte demonstrant. Primo; quia baptisma quidpiam ab ipsa concione plane distinctum, atque diversum esse testatur sacra Littera: quod minus recte diceretur, si concione tanquam sui parte baptismi consisteret. Sic Act. 8. postquam Philippi concio, qua Eunuchum Reginae Candacis fide informavit, recensita est, tum subinde additur, *venit ad quandam aquam, & dixit Eunuchus, ecce aqua, quid prohibet me baptizare? Ubi cernitis, baptisma, uti quid a praemissa concione diversum recenseri. Secundo; quia plerumque tempore Apostolorum, concio ab uno praemittatur, & baptisma ab altero conferebatur, quod minus recte fieret, si concio baptismi pars esset. Sic Act. 10. Petrus Cornelium eiusque domum habitans concione, fide imbut, tum illum totamque familiam a ministris baptizari iussit. Tertio; Quia temporibus Apostolicis diversum erat munus concionatoris a munere baptizantis, iuxta illud 1. Cor. 1. *Non misit me Dominus baptizare, sed evangelizare.* Quod minus veritate niteretur si concio baptismi pars esset, eiusque veluti forma, a qua regenerandi virtutem haberet.*

Nunc vero si Patrum suffragia in probationem vocare lubet & in erroris Calviniani confutationem, Elenchum & indicem concionem. Horum quippe una vox est, baptisma, Trinitatis invocatione perfici, illiusque nomine consecrari; maxime vero Iustini Martyris in *Apologia 1. ad Antoninum Imperatorem S. Basilii lib. 1. de Spiritu S. cap. 15. S. Cyrilli Alexandrini Catech. 2. S. Athanasii Sermon. 3. contra Arianos. S. Gregorii Nissenii lib. de baptismo, S. Ambrosii lib. 2. de Sacramentis cap. 5.* Nupiam vero concionis tanquam partis baptismatis mentionem habent. Si porro, ut cernitis, septimum Ecclesiae saeculum praecessere, quo necdum tempore, errores, in Ecclesiam inducunt, Lutherani & Calvinistae, utro citroque fatentur.

Ceterum quia D. Augustini suffragio petulantius Calvinus abutitur, ut illum in erroris sui praedictum petrahar, SS. Doctoris verba dabo *lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 14.* Ubi errori Calviniano jugulum petit. Enim vero de Catechumeno sermonem habens, qui in alicujus haereticorum concionem incidens, & errorem a veritate fecerit nesciens, quidpiam adversus Catholicam fidem imberit animo, & in ea fidei falsitate baptizatus fuerit, eum denuo baptizandum esse negat SS. Doctor, quia, inquit ille, *illa Sanctitas Sacramenti verbis evangelicis consecrata super eum integra permanebat, sicut cum triditum acciperet, quomodo ipse in carnalis mentis vanitate constitutus, aliud cum baptizaretur crederet, quam credere debuisset. Quapropter manifestum est fieri posse, ut fide non integra, integrum in quoquam maneat baptismi Sacramentum.* Quod latius prosequitur SS. Doctor *cap. 15. libri ejusdem, & cap. 25. libri 6.* Atque hinc quidem duo colligimus, quae Calvinistarum Hypothesim plane suffodiant. I. Baptisma verbis Evangelicis consecrari, iudice Augustino: non itaque concionis verbo perficitur. Alterum, Baptismi Sacramentum stare integrum, tametsi qui suscipit falsa concione decipiatur, & errore aliquo inficiatur, eo ipso mo-

mento, quo tingitur: ut hinc videas, non perfici Sacramentum, ea ipsa praemissa concione, qua fides suscipiens excitatur & informatur. sic enim ubi falsa, & erronea concio est, nullum profecto Sacramentum est.

In disertatione sequenti, adversae partis momenta, Deo favente dilucemus.

## PRAELECTIO IV.

*Calvinianorum momenta tum ex sacris Litteris, tum ex PP. delibata convelluntur.*

Calviniano errore superiori lectione profligato, postulat officii ratio, ut quae in ejus praedictum obtrudunt nefariae sectae principes, ad crism vocemus, ne qua parte tuendi erroris ansa suppetat. De verbis, si bene meministis, quibus Sacramenta conficiuntur, nobis sermo erat. Videlicet cum Sacramenta pauculis illis verbis confici doceret Ecclesia Catholica, quae super materiam a Ministro proferuntur, qualia ista sunt in baptismo, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Ecclesia falsi nominis reformata concionem Sacramenti praemittendam contendit, ad suscipientium fidem excitandam, illaque ipsa concione fidem in suscipientibus excitante, Sacramentum perfici parat. Quam id falsum, quam absurdum sit; satis opinor superiori praedictione demonstravimus. Jam quid illi, in sui praedictum proferant, perpendendum.

Duo maxime ex sacris Litteris, ad institutum suum detorqueant, quae suam errorem communiri parant; primum quidem ex ultimo Matthaei Capite desumunt, ubi Christus Discipulos fidei Satores, per universum orbem mittens, docete, inquit, omnes gentes baptizantes eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Unde colligendum existimant coactionem seu Doctrinam explicitam baptismi praemitti oportere, a qua, uti forma, vim suam omnem atque virtutem Sacramentum obtineat. Alterum ex Apostolo *ad Ephes. 5.* delibant, ubi de Ecclesia a Christo redempta sermonem habens, mundans eam, inquit, lavacro aquae, in verbo viva: hoc est, ut ipsi quidem interpretantur in verbo fidei, quasi fidei explicatio, quae praemissa concione fit, & a baptizato concipitur, vim omnem regenerandi baptismati tribuat.

Verum procul a vero abeunt praeposteri Scripturarum Interpretes Protestantem. Equidem baptismi praemittendam esse concionem, seu doctrinam Christianam explicitam, quoties confertur adultis, evincunt Christi D. verba, *docete baptizantes*, quod & nos in Ecclesia Romana facitamus: verum hanc ipsam concionem adultis praemitti solitam baptismatis formam esse, qua tanquam essentiae suae parte consistit, & qua regenerandi vim baptismi obtineat, hoc vero negamus. Alias, & debita forma careret, & nullum profusum esset baptismi pueri administratum, quibus nulla concio praemittitur, uti superiori praedictione probavimus. Quin potius ipsa Christi D. loquendi ratio concionem a baptismi fecerit, *Docete omnes gentes baptizantes eos*; quod certe praeposterum notaretur, si doctrina praemitti solita, baptismi pars esset ac forma, regenerandi vim habens. hinc D. Hieronymus Christi verborum dignus interpret, *ordo praecipuus*, inquit, *iussit Apostolis, ut primum docerent omnes gentes, deinde fidei iningerent Sacramentum.* Quo verbo baptismum ab ipsa concione seu Doctrina diversum esse significat.

Neque vero melioribus Avibus alterum Apostoli dictum interpretantur Protestantem: *Mundans eam*, nempe Ecclesiam, lavacro aquae in verbo vi-

ta. Esto enim de baptismatis lavacro locutum Apostolum fateremur, eorum quae Verbum vitae, in quo Ecclesiam mundantem inquit Apostolus, invocationem SS. Trinitatis, consecrationis verbo contentam, non liceat intelligere! Cum ita Patres Ecclesiae passim intelligant, maxime vero Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Anselmus. Sed & id plane distinet, Apostolum de baptismatis lavacro eo loci locutum esse; Cum potius tropologica phrasi usus de quacumque spiritali lotionem, purgationem, mundationem loquatur, quae per verbum vitae, seu per Evangelii praedicationem, in Ecclesia facta est. Sic sane locum illum Apostoli interpretatur Hieronymus, ut nihil inde praedicti repetere possint Protestantes ad suum errorem communiendum.

Calvinistarum causam non mediocriter juvare videtur, quod legitur *Marci 14.* occasione institutionis Sacramenti Eucharistiae. *Accipite Calicem gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes: & ait illis, hic est Sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis effundetur*; quibus verbis ex rerum serie, & ordine recte pensatis, aperte colligi videtur prius ex Calice utique consecrato bibisse Discipulos, quam ea verba, *hic est Sanguis meus*, proferrentur a Christo: atque ita iis ipsis verbis, non fuisse Calicem consecratum, consecratumque Sacramentum, sed aliqua praecedente concione. Quod usque adeo certum esse videtur, ut ob eam ipsam Marci narrationem, Theologi Romanae Communionis non ignobiles, hac ipsa aetate nostra propugnant, Christum sacris illis verbis *hic est Sanguis meus* Calicem minime consecrasset, sed potius praemissa benedictione: qua de causa Evangelistae tres Christum Calicem benedixisse retulerunt: ipseque Paulus Apostolus *1. Cor. 10.* Calicem Eucharisticum, *Calicem benedictionis* appellat, quod benedictione conferebatur: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?*

Mitari mihi subit, Calvinistas tantas in ea quorundam Theologorum sententia delicias facere, quae illorum ipsorum errorem perinde refellit. Ii quippe Theologi, qui ea Marci narratione delusi, Christum iis verbis, *hic est Calix Sanguinis mei*, Calicem consecrasset nolunt, sed potius benedictione antea facta; hanc ipsam benedictionem consecratoria quaedam verba fuisse volunt, minime vero concionalia. Ex quo proinde consequens est, perfectum fuisse Eucharistiae Sacramentum, verbis aliis, consecratoriis tamen, non itidem concionalibus. Equidem enim aliud erat, rogo vos, illa benedictio a Christo D. facta, nisi pia ad Deum Patrem precatio qua illius omnipotentiam imploravit, & advocavit, ut ingens illud patrarer miraculum, quo panem in Corpus suum, & vinum in sanguinem verteret: uti precari solitus erat, dum erat ingentia miracula patraratur? Ea vero precatio, quibus fiebat verbis, nisi consecratoriis, qualiacumque illa essent, minime vero concionalibus?

Sed & ea missa Theologorum illorum sententia (de qua iudicium ferre, non est institutum hujus & orti) non est cur Marci facta narratione moveamur, ut Christum dicamus, antea Calicem consecrasset, quam sacra illa verba proferret, *hic est Calix Sanguinis mei*. Et si enim consecrati calicis traditionem, & potationem, antea narret Marcus, quam verborum illorum, *hic est Calix*, prolationem; non sequitur fuisse antea traditum potumque Calicem, quam verba a Christo D. proferrentur: quia rem totam in ultima Coena gestam, non ex recta serie, & ordine narrat Marcus: sed Calicis potationem per parenthesis narrat & anticipato. Unde Matthaeus Evangelistarum

primus rem totam in ultima Coena peractam enarrans ex ordine temporis *Cap. 26.* Consecrationis verba uti prius a Christo pronuntiata representat, quam Calicem bibendum discipulis traderet. Nihil ergo ex descripta ultima Coena historia, in gratiam Protestantium extundi potest, quantum ad praesentem attinet controverfiam.

A Scripturis ad Augustinum provocant Calvinistae, quo duce triumphum sibi fidentius acciunt. Haec illius verba superbe efferunt; *Ex Tract. 80. in Joannem delibata de baptismo; Unde ista tanta virtus aquae, ut Corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo: non quia dicitur, sed quia creditur? Nam & in ipso verbo, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei quod praedicamus. . . . Unde in actibus Apostolorum legitur fide mundans corda horum.* Et Petrus Apostolus *Epist. 1. cap. 3.* Sic & vos baptismi salvos fecit, non carnis deposita sordium, sed conscientiae bona interrogatio: Hoc est verbum fidei quod praedicamus. Quo loco D. Augustinum vim baptismatis tribuisse verbo concionis, non verbo consecrationis ex triplici capite, inde colligunt Lutherani. Primo: Quia virtutem abluendi cor, verbo tribuit, non quia dicitur, sed quia creditur: quod concionis verbo, fidem in suscipientibus excitanti, peculiare est; Verbum enim consecratorium, vim aquae tribuere dicitur a Catholicis, non quia creditur, sed quia dicitur. Secundo: Quia ea scripturae loca, quae congerit Augustinus, ut verbi baptismalis vim demonstret, de verbo praedicationis, & fidei, sine controverfia intelliguntur: *Hoc est verbum fidei, quod praedicamus. . . . fide purificans corda ipsorum.* Tertio: Quia cum sub hujusmodi tractatus finem dixisset Augustinus, Infantem aqua mundat per verbum, continuo quodnam id verbum sit, expositurus subjungit: *hoc totum fit per verbum, de quo Dominus ait, jam vas mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis.* Quod certe concionis, non consecrationis verbum erat. En Calvinistarum, & Lutheranorum Achilem.

Vix dici queat quantum locus ille Augustini, Theologos nostros polemicis male torqueat. Sunt qui dicant, Augustinum non de collatione, sed de institutione baptismatis disputare: atque ita nec de verbo consecrationis sermonem habere, sed de verbo institutionis, quo videlicet Christus baptismatis Sacramentum instituit, & regenerandi virtutem tribuit elemento. Verum rure profus interpretamentum illud, duo probant. Primo: Quia Christus nullo proloquio verbo baptismi Sacramentum instituit: Nullum igitur institutionis verbum fingi potest. Theologorum enim communis sententia est, Christum baptismatis Sacramentum instituisse, dum in Jordane a Joanne tinctus est: ac tunc quidem regenerandi vim aquis lustralibus indidisse, mundissimam suae carnis tactu, nullo plane quodsciamus, proloquio verbo. Secundo: Quia longe minus, de verbo institutionis, si quod fuisset, dici potest, quo elemento vim tribuerit, non quia dicitur, sed quia creditur. Ideo enim elemento vim tribuisset verbum illud, si quod fuisset, quia a Christo D. dictum esset, qui solus ex elementis Sacramenta, condere potuit: nihil vero referret, ad efficaciam verbi hujus, si credatur a nobis, nec ne. Quamquam enim nemo mortuum Christi verbo praestaret fidem, eadem nihilominus efficaciam polleteret ille, ad instituenda Sacramenta.

Quare, eo misso responso, dicendum, de verbo consecrationis intelligendum, esse Augustinum, loco a Calvinistis obiecto. Dum igitur inquit SS. Doctor, operari verbum hoc in baptismo, non quia dicitur, sed quia creditur, hoc unum sibi vult,